DE ANTONIO MASSANO MINORITA CONVENTUALI VIRO…

Antonio Felice Mattei

DE ANTONIO
MASSANO
MINORITA CONVENTUALI
VIRO PRAESTANTISSIMO
EPISTOLA.

342.9
1879

PISIS MDCCLX.

Johannes Paulus Giovannellius cum Sociis
Typographus Almae Pisanae Academiae
Excudebat Praeſidibus Adprobantibus.

FR. ANTONIJ FELICIS MATTHAEJ

Minoritae Conventualis in Piſana Academia Sacrae Theologiae publici Profeſſoris de ANTONIO MASSANO *Sodali ſuo epiſtola ad Reverendiſſimum Patrem* PAULLUM ANTONIUM AGELLIUM *bonarum Artium, Sacraeque Theologiae Doctorem, Florentiae, ac in tota Etruria adverſus haereticam pravitatem Inquiſitorem Generalem a Sancta Romana Sede ſpecialiter delegatum, Virum clariſſimum, atque ornatiſſimum.*

QUae res duae, Agelli clariſſime, honeſtos homines ad ſcribendum movere conſueverunt, eae ambae ad hanc de Antonio Maſſano Epiſtolam conficiendam me excitarunt; amicorum preces, fideſque publicè data (1), quarum alterae, ut non de-

(1) In Epiſtola *de Vita, & ſcriptis Antonij Rhaudenſis Minoritae Conventualis*, quam initio praeſentis anni dedi ad Virum Ordinis noſtri doctiſſimum Fratrem Laurentium Ganganellium nuper in Sanctae Romanae Eccleſiae Principum Cardinalium Collegium communi plauſu numeratum. Extat *in Diario Litteratorum Romae publicato.*

berem, altera, ut nullo modo poſſem ab hujuſmodi onere me liberare, effecit. Cauſſa verò, cur eandem epiſtolam nomini tuo nuncupare audeo, eſt, ut oſtendam, me tibi ſummas habere gratias propter collata beneficia, quae, ut verè fatear, tot, tantaque ſunt, ut ſi illa non voluntate, ſed officiis remetiri debeam, ingratus procul dubio ſim moriturus. Alia etiam, eaque graviſſima accedit cauſſa, quae me ad id praeſtandum non dicam monet, ſed quaſi impellit; in te enim eae omnes, quae in Antonio Maſſano, refulgent animi dotes, morum nempe probitas, integritas, in rebus gerendis prudentia, ac dexteritas, doctrina demum, atque eloquentia; unde dignus cenſura eſſem, niſi monimenta, quae de ipſo Antonio in aeſtivis meis vacationibus collegi, ac modò publicare decrevi, tibi licet inſcio, atque inconſulto offerrem, conſecratemque. Venio nunc ad argumentum, quod mihi propoſui, & de quo una tecum verba conferre (Deus bene vertat) in animo eſt.

I. Antonius, cujus geſta, quae vetera monimenta a temporum injuriis intacta nobis relicta memorant, breviter ſum ſcripturus, Maſſae, quae Civitas in agro Se-

nenſi

nenſi ſita eſt, venit in lucem. Non modò annum, quo Deo inter Franciſcanos Conventuales devovit ſe, verum annum etiam, quo ortus eſt, diù, multumque fruſtra hucuſque inveſtigavi. Ex anno tamen ejus emortuali, cujus ſuo loco meminero, medio circiter ſaeculo decimo quarto natum eſſe colligitur. De Antonio noſtro, quantum ſcio, primum ſit mentio in eo monumento, ex quo patet, Alamannum Piſanum, Jacobum Florentinum, Ludovicum Volaterranum, ac Petrum Aretinum Praeſules, aliaſque eccleſiaſticas perſonas ſimul conveniſſe Florentiae, ſtatuiſſeque, nolle ſe Gregorio XII. obtemperare. Praefatum monumentum, quod primò viri eruditiſſimi Martene, & Durand ediderunt (1), nullam quidem anni notam exhibet, at anno MCCCCIX. ſcriptum fuiſſe certa, explorataque res eſt: eo enim tempore Sozomeno Piſtorienſi teſte, quod ſupra dictum a me eſt, laudati Praeſules de Gregorio ſtatuerunt: *Concilium, quo Florentini ſubtraxerunt ſe obedientiae Gregorij XII. habitum fuit Florentiae anno MCDIX.*

A 3 a Na-

(1) *T. VII. Vet. Script., & Monum. col. 937. ſeq.* Edidit poſtea etiam clariſs. Manſius *T. III. Supplem. ad Concil. Veneto-Labb. pag. 1165.*

Digitized by Google

a Nativitate die ſeptima Februarii. (1). Qua aetate tunc eſſet Antonius mihi non liquet, ſed quantum conjectura aſſequor natu grandis erat, ac ſacrae Theologiae Magiſter; nam his verbis ſe ſubſcribit: *Antonius de Maſſa profeſſor* (2).

II. Cum his temporibus *Schiſma XXII. omnium ſchiſmatum, quae ante fuerant peſſimum, & ſubtiliſſimum* (3) univerſam vexaret Eccleſiam, ut quies tamdiu optata eidem reſtitueretur, utriuſque obedientiae, ut ajunt, Cardinales, tum ii ſcilicet, qui Benedicto XIII., tum ii, qui Gregorio XII. de pontificia dignitate ſumma inter ſe contentione certantibus, parebant, Concilium Piſis habere decreverunt. Inter Theologos, qui ad illud celebrandum convenerunt, atque ut conſilium Patribus darent, an duo memorati Pontifices a Synodo exauctorandi eſſent, tertiuſque eligendus, nec ne, *die* 28. *Maij in mane congregati* ſunt *in Sacriſtia Conventus Fra-*

(1) *In ſpecimine Hiſtoriae ad eum an.* apud Muratorium *Tom. XVI. Script. R. J. col.* 1193.

(2) Vide *cit. Monum.* apud Martene, & Durand, ac Manſium *locis indic.*

(3) Wernerus Rollewink *in Faſciculo Temporum ad an.* 1378. apud Joannem Piſtorium T. II. *Script. Rer. German. pag.* 567.

78

Fratrum Minorum de Piſis (1), recenſentur ex noſtris non ſolum Bartholomaeus Piſanus (2), Nicolaus Bertoldi Senenſis, Joannes Joannis, & Simon Florentini, aliique ex variis Provinciis non pauci, ſed etiam Antonius Maſſanus: ex qua re patet, in magna fuiſſe, quod ad doctrinam attinet, apud ſanctae Romanae Eccleſiae Senatum aeſtimatione.

A 4 III.

(1) Confer *illius Acta* apud eruditiſſimum Manſium *T. III. op. cit. col.* 1137.

(2) Bartholomaeus Piſanus hic memoratus, qui adfuit etiam Concilio Florentino, de quo egi paullò ante, certè non eſt Bartholomaeus Albitius pietate, doctrina, ac nobilitate clariſſimus. Hic enim anno 1401. juxta ſtylum Piſanum in patria obiit, atque in medio noſtrae Eccleſiae ante Aram nunc divo Joachimo ſacram ſepultus eſt cum ſequenti epitaphio:

HIC JACET VENERABILIS FRATER BARTHOLOMAEUS DOMINI ALBISI ORDINIS MINORUM, QUI OBIIT A. D. MCCCLI. DIE X. DECEMBRIS.

Ubi tamen incautus litterarum ſculptor pro C. perperam poſuit L.; enim verò anno 1399. adhuc in vivis erat. Confer Henricum Wharton *Append. ad Hiſtoriam Litter. Cavei ſaec. VVicklev. pag.* 49. *ed.* 1705. Itaque in ea ſum ſententia, ut judicem, hunc Bartholomaeum eſſe Bartholomaeum Piſanum ex antiqua patricia gente *de Rinonichio* (hujuſmodi oppidum nunc ab imis everſum, unde memorata gens ita cognominata eſt, ſitum erat in agro Piſano ad ortum ſolis prope oppidum *Caſcinam*) natum, qui laurea doctoratus anno

III. Neque minor fuit aeſtimatio, quam ſibi apud Joannem XXIII. in locum Alexandri V. ſuffectum, quod ad bonos mores, ac in rebus gerendis prudentiam ſpectat, acquiſivit. Cujus rei, mea quidem ſententia, magno eſt argumento, quod cum anno MCDXII. reprehesentatum Pontifici fuiſſet in quibusdam Fratrum Minorum, ac Monialium S. Clarae hujus noſtrae Provinciae domibus, ſeu Monaſteriis regularem diſciplinam *calpa, ſeu defectu, & negligentia Miniſtri dictae Provinciae, qui* tunc erat, *ac quorumdam ex Officialibus locorum, ſive domorum hujuſmodi per eumdem Miniſtrum inſtitatis, & etiam deputatis, nec non Abbatiſſarum Monaſteriorum praedictorum* jam obſolteviſſe; idem ipſe Pontifex 2. calen-

no 1376. inſignitus eſt, ac *Pariſiis, & in aliis Studiis generalibus docuit, atque in ultimo Capitulo Generali* (Toloſae anno 1373. celebrato) *deſtinatus erat, ut legeret libros Sententiarum Cantabrigiae* teſte Waddingo T. *VIII. An. Min. ad an.* 1376. *n.* 8. *pag.* 332. *ed. Romanae*. De hoc Bartholomaeo mentionem quoque facit Troncius *Annali Piſani ad an.* 1401. *pag.* 490. ,, F. Bartolomeo de Rinonichi dell' Ordine de ,, i Conventuali di S. Franceſco fu huomo coſpicuo ,, in dottrina, e Santità ,,; ſed hic Scriptor vehementer errat, dum ait, Bartholomaeum noſtrum anno 1401. mortuum eſſe, eique plura adjudicat, quae Bartholomaeo Albitio conveniunt, quem, neſcio qua fretus ratione, obiiſſe ſenſit anno 1355.

lendas octobris, datis Antonio litteris ei praeceperit, ut memoratas domus, ſeu Monaſteria viſitaret, *ac tam in capite, quam in membris* corrigeret. Illi quoque mandavit, ut rebus ad trutinam vocatis, ſi deprehendiſset legum noſtrarum violationem Miniſtri culpa revera accidiſse, ut ei relatum fuerat, ipſum dignitate privaret, habitiſque comitiis alium in ejus locum ſubſtitueret (1).

IV. Alia item praebuit Joannes Pontifex indicia, ſe magni facere Antonij prudentiam, morumque honeſtatem. Anno MCDXIV. Joannes patria Florentinus Sacr. Theologiae Magiſter juſtis de cauſis ſponte ſua ſe Miniſtri hujus Provinciae officio abdicavit. Praeſenſerat Pontifex, quod ſi convocatis novis comitiis Etruſci Patres propriis ſuffragiis alium Miniſtrum eligere tentaſſent, diſſenſiones inter eos ortae fuiſſent; quocirca ne iſtae acciderent, ac Miniſter crearetur juxta cor ſuum utilis, & idoneus, per quem *circumſpectè regi, & ſalubriter dirigi* valeret ordo noſter, 6. calendas octobris Antonio Maſſano Miniſtri officium tri-

(1) Confer *Diploma Joannis* incipit *Circa Statum &c.* apud Waddingum *T. IX. in Regeſto Pontif. n. 10. pag. 526. ed. cit.*

tribuit, in eo *ad ſui, & Apoſtolicae Sedis beneplacitum* duraturo; & quoniam verebatur, ne Viſitatores, Commiſſarij, atque Vicarij impedimento eſſent, quominus Antonius quaecumque ſibi videbantur pro optimo Provinciae regimine opportuna liberè executioni mandaret, eos omnino exauctoravit, ſtatuitque nullam agendi poteſtatem habere, niſi accedente Antonij voluntate (1).

V. Quot annos Miniſtri officium exercuerit Antonius certò me latet. Lucas Waddingus (2) exiſtimat, illud uſque ad annum MCCCCXIX., quo, ut ille opinatur, Legatus Conſtantinopolim a Martino V. miſſus eſt, exercuiſse. Subſcribit Waddingo Antonius *a Terrinca*: Joannes Pontifex *auctoritate Apoſtolica, & ad beneplacitum Miniſtrum Provincialem conſtituit* (Antonium), *quo in miniſterio uſque ad annum MCCCCXIX. perduravit* (3). Cum videam Martinum Summum Pontificem anno MCCCCXXI. quinto calendas maij, & anno ſequenti octavo calendas martii, nempe ſeptem circiter menſes ante legationem Con-

(1) Vide *Dipl. Joannis* incip. *Admonet nos &c.* apud eumdem *in R. P. n.* 44. *pag.* 558.
(2) *T. X. ad eum an. n.* 8. *pag.* 27.
(3) *Theatro Etruſco-Minor. Par.* 1. *Tit.* 2. *ſerie* 3*a*.

Conſtantinopolitanam poteſtatem feciſſe Antonio noſtro, ut Fratrem Damianum Minoritam Conventualem, ac tres alios ſodales ſuos *ad Magiſterium promoveret* (1): quae quidem poteſtas, aut perſonis Eccleſiaſticis dignitate ſplendentibus, aut Ordinis Miniſtris communiter fieri ſolebat; jam tum ab Antonio gubernatam hanc Provinciam fuiſſe, nec eo inficias, nec prorſus concedo (2). Illud autem lectores monitos velim, neque Waddingo multum hac in re fidendum eſſe: cum enim ignorarit annum, quo Antonius Legatus fuit, quemadmodum paullò poſt oſtendam, prudenter ambigi poteſt, ignoraſſe pariter tempus, quo hanc Provinciam adminiſtravit; quippe qui utrumque conjunxit: neque etiam

(1) Conſule Petrum de Alva *Indic. Bullarii Seraph. Par. 1. pag.* 313., & 515., atque Antonium Melliſanum *in Supplemento ad Annal. VVaddingianos ad an.* 1422. *n.* 1. Exſt. *T. X. Annal. eorumdem pag.* 67. *ed. cit.*

(2) Quominus id prorſus concedam me prohibent litterae a Martino V. ad Antonium noſtrum anno 1422. decimo tertio calendas Aprilis miſſae, atque a Waddingo exſcriptae *T. X. in Regeſto Pontif. n.* 83. *pag.* 347., quarum epigraphen eſt hujuſmodi: *Dilecto Filio Antonio de Maſſa Ordinis Minorum Profeſſori Magiſtro in Theologia*: cum enim a Martino Miniſter Provinciales in his non appelletur, ſuſpicari fas eſt, jam tum Miniſtri officium deſeruiſſe.

etiam Antonio *a Terrinca*, tum ob eamdem rationem, tum quia hic Auctor ſibi non conſtat; nam etsì antea, ut dictum eſt, aſſeruiſſet Antonium ab anno MCCCCXIV. ad annum uſque MCCCCXIX. continenter Miniſtri onus geſſiſſe, tamen poſtmodum de illo iterum loquens ſcribit in hunc modum: *anno MCCCCXVII Antonio ſuvenit P. Nicolaus Bertellus* (1). *Anno MCCCCXVIII. defuncto Nicolao praefato, iterum P. Antonius Maſſanus in Miniſtrum creatur, qui anno ſequenti a Martino V. Pontifice ad Conſtantinopolitanum Imperatorem nuncius miſſus miniſteriatus officium reſignavit* (2).

VI. Anno MCDXXII. decimo tertio calendas aprilis Martinus laudatus eumdem Antonium *ob inſignem doctrinam, & raram facundiam Praedicatorem inſtituit Apoſtolicum*(3): ideſt, uti interpretor, illi conceſſit, ut ubique gentium verbum divinum populo facere poſſet, quemadmodum ex litteris Anto-

(1) Nicolaus hic procul dubio idem eſt, ac Nicolaus, qui in actis Concilii Piſani ſupra memorati, cui ipſe adfuit cognominatur *Bertholdi*. Certe quidem uterque Senenſis erat.

(2) *Op. cit. Par 1. Tit. 3. ſerie 1. pag.* 35. Antonius *a Terrinca* etſi Scriptor ſemiſſis, ex iis tamen non eſt, qui res noſtras dolo malo turbarint, quemadmodum ex Sodalibus ſuis nonnulli ſecerunt.

(3) Waddingus *T. X. ad eum ann. n. 19. pag.* 65.

tonio datis, quas hic recitare placet, ſit manifeſtum „ Dilecto Filio Antonio de
„ Maſſa Ordinis Minorum Profeſſori Magiſtro in Theologia. Eximiae devotionis
„ tuae ſinceritas, qua ſuccenſus mundana
„ reſpuis, & coeleſtia quaeris, promeretur, ut in his, per quae non ſolum
„ tibi, ſed aliis etiam prodeſſe valeas ad
„ ſalutem benignum tibi praebeamus aſſenſum. Hinc eſt, quod nos tuis in hac
„ parte devotis precibus inclinati, ut tu,
„ qui Presbyter, ac de Religionis zelo,
„ litterarum ſcientia, & potiſſimum ſacrae
„ paginae doctrina ſana, & eruditione ſalutari quamplurimum apud nos com-
„ mendatus exiſtis, in Cathedralibus, &
„ aliis Eccleſiis, ac plateis, & aliis locis
„ congruis, & honeſtis ubicunque, tem-
„ poribus, & horis decentibus, & quibus
„ Epiſcopus loci non praedicabit, vel per
„ alium faciet praedicari, ut devotos, di-
„ vina largiente gratia, devotiores efficias,
„ & indevotos ad devotionem inducas, ac
„ Fidelium procures ſalutem animarum,
„ prout totis deſideriis affectamus, ver-
„ bum Dei populo exponere, & praedi-
„ cationis officium, prout Altiſſimus tibi
„ ſpiritus Sancti gratia, miniſtraverit, ex-
„ erce-

„ ercere .... libere, & licitè valeas, „ devotioni tuae, de ſpeciali gratia, te„ nore praeſentium indulgemus. (1)

VII. Quandoquidem in legationis Antonij Conſtantinopolitanae mentionem paullo ante incidi, ejusdem cauſam, & annum inveſtigare operae pretium puto. Quod ad cauſam attinet his verbis eam exponit Auctor acceſſionum ad hiſtoriam Ptolomaei Lucenſis apud clariſſimum Muratorium: *dum Papa* (Martinus) *ſic Florentiae moraretur venerunt Oratores Imperatoris Conſtantinopolitani petentis velle uniri Romanae Eccleſiae, quos Papa benigniſſime ſuſcepit, atque Legatum Apoſtolicae Sedis pro hoc creavit Dominum Petrum de Monte-Sicij Cardinalem S. Angeli Hiſpanum virum per omnia doctum, praemiſſo Conſtantinopolim Fratre Antonio de Maſſa Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro ad explorandam Imperatoris mentem, & diſpoſitionem ad tam ſanctum opus* (2). Quod verò ad annum ſpectat, Waddingus (3), qui legationis acta non vidit, etſi longe antequam de Antonio verba faceret

(1) Exſt. apud eumdem *in Reg. Pontif. n. cit.*

(2) *T. III. part. 2. operis laud. in Vita Martini V. col.* 864.

(3) *T. cit. ad an.* 1419. *n.* 8. *pag.* 27.

ceret edita eſſent (1), proindeque rem hanc narrat pauciſſimis, cenſet Antonium Conſtantinopolim anno MCDXIX. profectum eſſe. Waddingi mentem ſequitur Antonius *a Terrinca* (2), & alii, quos mitto. Verum in magnis erratis illorum opinio verſatur; nam Antonium poſt triennium tantum, anno ſcilicet MCDXXII. Legati munus obiiſſe, Byzantiumque perveniſſe die decima menſis ſeptembris acta laudata aperte tradunt. Sed horum verba exſcribenda hic ſunt, quippe multa nos doceat, ac in primis quid egerit, quibuſque honoribus cohoneſtatus ab Imperatoreidem ipſe Antonius fuerit „ A Chriſti Nativitate „ anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo, indictione quintadecima, „ die decima quarta Novemb., Conſtantinopoli Urbe regia in praeſentia Domini Imperatoris Romaeorum praeſentibus teſtibus infraſcriptis ad haec omnia, & ſingula vocatis, & rogatis, reverendiſſimus, & integerrimus vir, atque „ clementiſſimus ſacrae theologiae Profeſſor magiſter Antonius Maſſanus, qui dicitur orator, & nuntius Apoſtolicus in „ par-

(1) *Pariſiis anno 1612. in 4.*
(2) *Loco paulo ante cit.*

„ partibus Graeciae ad diem decimum
„ ſeptembris milleſimi ſopradicti Conſtanti-
„ nopolim applicuit; qui majori ſuae ho-
„ neſtati conſulens, divertit in Peram ad
„ Conventum ordinis fratrum Minorum(1);
„ ſtatimque per reverendos, & honeſtiſ-
„ ſimos viros fratrem Gullielmum (2)
„ confeſſorem excelſae, & chriſtianiſſimae
„ Imperatricis, & magiſtrum Joannem
„ (3) praefati oratoris ſocium. Et ſere-
„ niſſimo principi domino Manueli Dei
„ gratia Romaeorum Imperatori idem ſi-
„ gnificavit, primò ſe eſſe nuntium Apo-
„ ſtolicum miſſum ad ſuam majeſtatem im-
„ perialem; deinde ubi, & quo in loco ei-
„ dem gerens morem ſeceſſerat; tertio ve-
„ ro, quandocumque ſua imperialis maje-
„ ſtas pro eo mitteret, ipſe ſemper para-
„ tiſſimus eſſet. Cui quidem domino ora-
„ tori Jo....... dominus Imperator per
eoſ-

(1) Conventum hunc poſſident uſque adhuc Fratres Minores Conventuales.

(2) De Gulielmo nulla extat in Annalibus Waddingianis mentio, vel ſaltem haud narratur, Sacerdotem a Sacris Confeſſionibus Imperatricis fuiſſe.

(3) Joannes hic memoratus probabiliter eſt Joannes ille patria Florentinus, qui Conciliis Florentino, & Piſano adfuit, ac officio Miniſtri Provinciae Etruriae ſponte ſe abdicavit anno 1414. uti ſupra animadverti.

„ eosdem dominos venerabiles fratres ad
„ ſuam ſerenitatem tranſmiſſos hujuſmodi
„ reſponſum dedit.

„ VIII. Primum laetari ſe plurimum de
„ ipſius adventu; de loco autem, in
„ quo erat vehementer congratulari, &
„ ita meliorem eligere non potuiſſet: de-
„ mum vero quod prope diem pro eodem
„ mitteret, quo voluntatem beatiſſimi ſum-
„ mi Pontificis audiret. Poſtea vero, cum
„ ad diem decimum ſextum ejuſdem men-
„ ſis Septembris ipſe dominus Imperator
„ miſit, idem reverendiſſimus pater domi-
„ nus Nuntius Apoſtolicus ad imperiale pa-
„ latium profectus eſt, honorificentiſſimè
„ aſſociatus, & ab honorabili domino ba-
„ julo illuſtriſſimi ducalis dominij Veneto-
„ rum, & alia multitudine nobilium copio-
„ ſa, tam Graecorum, quam Latinorum:
„ ibique facta majeſtati imperiali reverentia
„ debita, eidem bullas ſanctiſſimi in Chri-
„ ſto patris, & domini Martini divina pro-
„ videntia Papae quinti praefatus dominus
„ orator propriis ipſis manibus porrexit,
„ atque benedictione ſanctitatis appoſita,
„ aſſignata, dixit habere ſe ex mandato
„ Apoſtolicae ipſius ſanctitatis, & ſuae ſe-
„ renitati, & reverendiſſimo in Chriſto pa-

„ tri domino patriarchae novem quaeſtio-
„ nes exponere, quibus dominus impera-
„ tor reſpondit ſuo loco, & tempore ad
„ illas exponendas iterum ſe pro eodem
„ domino oratore miſſurum.

„ IX. Ad diem autem tertium octobris,
„ cum idem illuſtriſſimus Imperator Ma-
„ nuel mittere inſtituiſſet, veluti antea di-
„ xerat, ut ipſe una cum domino Patriar-
„ cha eas novem concluſiones exponendas
„ attenderet, graviſſima infirmitate oppreſ-
„ ſus eſt, & adeo oppreſſus repente, ut
„ & loquelam omnem, ac ſenſus omnes
„ penitus amiſerit. Quamobrem die de-
„ cima ejusdem menſis Octobris, idem
„ reverendiſſimus dominus Orator, & nun-
„ tius Apoſtolicus per ſupradictos fratres
„ Guillelmum confeſſorem, & magiſtrum
„ Joannem tranſmiſſos ad illuſtriſſimum
„ dominum Principem Joannem ejus Se-
„ reniſſimi domini Manuel filium primo-
„ genitum, atque Romaeorum Imperato-
„ rem in praedictis deſignatum, primo
„ apud ipſius majeſtatem condoluit, de
„ adverſa, & .... valetudine excel-
„ ſiſſimi patris ſui, deinde modeſtiſſimè ac
„ ipſi ſignificavit, quod legatio beatiſſimi
„ ſummi Pontificis in longiuſculum tra-
„ hebatur. „ X.

„ X. Ad diem vero decimam quintam ejuſdem menſis octobris, idem illuſtriſſimus dominus Joannes Imperator junior advocato in ſuum imperiale palatium praefato reverendiſſimo patre magiſtro Antonio Maſſano, digniſſimo nuntio Apoſtolico, illam ſacratiſſimam Pontificis ſummi legationem in novem concluſiones diſttibutam in ſecreto audivit, rejectis, ac remotis omnibus praeter ſuorum aliquos. Quibus quidem novem concluſionibus accuratiſſimè auditis, poſt pleraque verba dixit, uſque ad dies paucos ad ea ſe reſponſurom, quae ipſi domino oratori placita fierent. Viceſima autem die ejuſdem menſis octobris reverendiſſimo in Chtiſto patre, & domino, domino patriarchae Conſtantinopolitano ſupradicto publicè in Eccleſia ſancti Stephani coram ſuis metropolitanis Calogeriis, & praepadibus (forſan *papatibus*) atque aliis multis tam Graecis, quam Latinis hominibus, idem dominus nuntius Apoſtolicus easdem novem concluſiones expoſuit, quibus & ipſe reverendiſſimus quoque dominus pattiarcha uſque ad dies paucos reſponſurum affirmavit.

XI. Memoratae *concluſiones* ſunt ſequentes, quas ne plus aequo ſim longus totidem verbis haud exſcribam, ſed in pauca conferam. I. Romanum Pontificem ſummopere optare Eccleſiae graecae cum latina reconciliationem. II. Exponit damna, & pericula, quae ex ſchiſmate proveniunt. III. Reconciliationem faciendam eſſe *ſub illa fide, quam Sancta Romana Eccleſia tenet, & obedientia ad eandem Eccleſiam Romanam*. IV. Ratam habendam eſse creationem Legati. V. Proponit impedimenta ejusdem Legati. VI. Martinum Summum Pontificem optimum duxiſse Antonium Maſsanum praemittere. VII. Petit an Imperator, & Patriarcha reipſa velint reconciliationem facere *ſub fide, quam Sacroſancta Romana Eccleſia tenet, & ſervat, & obedientia ad eandem Romanam Eccleſiam*. VIII. Nomine Cardinalis S. Angeli ſpondet Imperatori Regum Aragoniae, Caſtellae, aliorumque virorum Principum auxilium. IX. Si Graeci omnes conditiones ab Antonio propoſitas ſervare velint Pontifex citò mittet Cardinalem S. Angeli *cum Praelatis, & Magiſtris ad hoc ſpecialiter ordinatis*. » XII. Poſt autem has novem concluſio- » nes .... diligenter expoſitas, idem re- » ve-

„ verendiſſimus pater dominus nuntius
„ Apoſtolicus, magiſter Antonius Maſſa-
„ nus ad diem viceſimam quartam ejuſdem
„ menſis octobris eumdem reverendiſſimum
„ in Chriſto patrem dominum patriar-
„ cham ſecundo convenit, & allocutus eſt
„ ſuper concluſionibus ſupraſcriptis. Item
„ & die vigeſima ſexta ejuſdem menſis
„ praefatus dominus nuntius Apoſtolicus
„ ſupra nominatos fratres Gulielmum con-
„ feſſorem, & Joannem ſocium ſuum ad
„ eumdem ſereniſſimum dominum impe-
„ ratorem dominum Joannem miſit, ut
„ ſuae majeſtati placeret reſponſionem ſibi
„ dare ad ea, quae nomine beatiſſimi ſum-
„ mi Pontificis ſuae ſerenitati retulerat.
„ Die vero trigeſima ejuſdem quoque men-
„ ſis octobris, iterum dominus Imperator
„ apud eumdem reverendum dominum
„ Patriarcham fuit ad tractandum, & col-
„ loquendum de modo celebrandi conci-
„ lii. Kalendis autem Novembris idem ſe-
„ reniſſimus dominus Imperator Joannes
„ miſit ad ipſum dominum oratorem quem-
„ dam ex nobilibus ſuis Cataciſmon ad
„ dicendum ne miraretur, ſi tam citò mi-
„ nus reſponſum dabat, quoniam multis,
„ & maximis negotiis impreſentiarum eſ-

„ ſet implicitus. Deinde quoque ad diem „ tertium novembris dominus nuntius apoſtolicus miſit ad quemdam majeſtatis imperialis calogerum, & ad Cloſeps, ut „ vellent illuſtriſſimum dominum impera„ torem, ac reverendiſſimum dominum pa„ triarcham ad hanc unionem ſacratſſimam „ excitare. Ad diem vero decimum quar„ tum novembris praefatus dominus nun„ tius Apoſtolicus reſponſionem habuit ad „ omnes ſupradictas concluſiones, tam a „ reverendiſſimo domino patriarcha, quam „ ab illuſtriſſimo imperatore ſupradicto: „ quoniam cum firma, ac ſolida in ſe eſſe „ aſſerat, idem dominus nuntius apoſtoli„ cus hic adnorari, ſeu adſcribi voluit. „ Scriptum, & publicatum Conſtatinopo„ li, quemadmodum retulerunt, & ſuis ſic „ miſſis teſtationibus approbaverunt venera„ bilis Frater Gullielmus confeſſor ſupra„ dictus, frater Petrus Caſſinus cuſtos Con„ ſtantinopolitanus, frater Ludovicus de „ Taraſio, frater Damianus de Venetiis, „ dominus Joannes Ariſpa, & frater Lau„ rentius de Franciſcis teſtes ad haec omnia, „ & ſingula ſupraſcripta vocati, & rogati (1).

XIII. Ex

(1) Exſt. hujuſmodi Acta cum *T. XVII. Hiſt. Concil. col.*

86

XIII. Ex hactenus dictis apparet, Antonium per duos menſes, & ultra Conſtantinopoli fuiſſe. In Italiam reverſus Urbem Senenſem adiit, ut Concilio, quod in illa anno MCDXXIII. calendis Novembris coeptum eſt ſe ſiſteret, eique litteras Joannis Palaeologi Imperatoris ad Martinum V. miſſas exhiberet (1), quibus idem ipſe Joannes Imperator de reconciliandis graecis cum latinis mentem ſuam Pontifici exponebat (2). Ob nonnullas rationes, quae in laudatis litteris narrantur graecorum cum latinis reconciliatio facta tunc non eſt, ſed ad Concilij Florentini tempora dilata fuit.

XIV. Antonius ejuſmodi legatione non ſolum Eccleſiae Romanae, verum etiam litterarum reipublicae profuit: ut enim linguae graecae peritiſſimus erat conquiſivit, & ex Urbe Conſtantinopolitana ſecum in Italiam tranſportavit Sancti Chryſoſtomi *Opera*, ac Diogenis Laertij libros *de vitis Philoſophorum*. Patet hoc verò ex

B 4 Am-

col. 100. , *& ſeqq. ed. Colet.*, tum apud Raynaldum *T. VIII. Contin. An. Eccleſ, ad an.* 1422. *n.* 5. *pag.* 544. *ed. Lucen.*

(1) Lege Pagium *in Vita Martini V. n.* 42.

(2) Extant heae litterae *T. cit. H. Concil. col.* 106. & apud Raynaldum *T. indic. n.* 15. *pag.* 547.

Ambroſio Camaldulenſi viro doctiſſimo, qui ad Nicolaum Nicolium Florentinum ſcribens ſic habet; „ mittas opus illud Chry„ ſoſtomi coeptum una cum exemplari, ac „ membranis, ut Fantini noſtri viri opti„ mi, & officioſiſſimi votis fiat ſatis. Maxi„ mum volumen, quod ad te ex Byzantio „ attulit Antonius Maſſanus, ſi ad manus „ eſt, mitte quaeſo (1) „: ſcribens autem ad Leonardum Juſtinianum Venetum ita loquitur: „ magna me amiciſſimorum homi„ num vis impulit, ut praeter inſtitutum „ meum, quo jam pridem ſolis Sacris Lit„ teris ex graeco transferendis operam da„ re decreveram, Diogenis Laertii libros „ de vita, decretiſque Philoſophorum in „ latinum convertere exiſtimavi. Vicit ta„ men amicorum vis nimia, adjectis adhor„ tationibus ferè dixerim ſummorum viro„ rum Archiepiſcopi Genuenſis, Antonii„ que Maſſani. Verum ejus operis duo ſunt „ exemplaria, neutrum perfectum, ſed „ utrumque, quantum conjicere poſſum, „ in pleriſque mendoſum. Alterum ex his „ de Guarini noſtri volumine tranſcriptum „ eſt,

(1) *Epiſt. 9. lib. 16. col. 533.* apud Martene, & Durand *T. III. Veter. Monument.*

27

„ eſt, alterum Antonius ipſe Maſſanus ex „ Urbe regia ſecum convexit (1) „.

XV. Per ea rempora, quibus Antonius Conſtanrinopolim petiit, univerſum Ordinem noſtrum gubernabat Angelus Salvetrus ex parentibus Florentia extorribus Senis natus generis nobilitate, ſcientiaque clarus, qui cum ad diem ſextam menſis Octobris perveniſſet vitam cum morte in patria commuravir. Quocirca Marrinus V. Salvetto ſucceſſorem dare juxta cor ſuum exoptans in ejus locum Antonium Maſſanum rertio idus Novembris anno MCDXXIII. ſuppoſuit, Angeli *loco*, utor Waddingi verbis, *ſubſtitait Pontifex Fratrem Antonium de Maſſa virum doctiſſimum, Sacrae Theologiae Magiſtrum, & inſignem verbi Dei concionatorem, qui Ordinem vicaria poteſtate regeret uſque ad proxima comitia generalia* (2). Cur id praeſtiterit, exponir ipſemet Pontifex in creationis diplomate (3) Maſſanum allo-

(1) *Epiſtola* 1. *lib.* 18. *col.* 585. apud laudatos Auctores *T. citato*.

(3) *T. X. op. cit. ad eum. ann. n.* 1. *pag.* 69.

(3) Exſt. apud Wadding. *ad eundem an. n.* 2. Hujus diplomatis meminit etiam Petrus de Alva *Indic. Bull. Seraph. part.* 1. *pag.* 314., ſed illud perperam refert ad annum 1422., perinde ac ſi Antonius hoc anno electus in Vicarium Generalem eſſet, quod certe falſum eſt.

alloquens: *quia*, inquit, *de tuae perſonae induſtria in bene gerendis rebus, experientia praeſertim in arduis noſtris, & Romanae Eccleſiae negotiis* perſuaſi ſumus.

XVI. Teſtis eſt Marinus Sanutus de patriis rebus, quae ſub Thoma Moccenico Venetorum Duce LVIII. acciderunt, verba faciens, Antonium Maſſanum Venetias quoque legatum fuiſſe: „ in queſto tempo, *ita ille*, venne un Oratore di ...... in
„ queſta terra, il quale fu meſſer Anto-
„ nio della Maſſa Generale de' Frati Mi-
„ nori a richiedere a queſta Signoria due,
„ ovvero tre Galere armate per queſto Sta-
„ to, per mandarle inſieme con altre con-
„ tro il Turco, il quale cercava di farſi
„ Signore di tutta la Grecia. Onde gli fu
„ riſpoſto, che ſempre mai i Veneziani era-
„ no ſtati, e ſarebbono diſpoſti di ſovve-
„ nire la Chriſtianità contro gl' Infedeli, e
„ che oltre alle Galere, che eſſi tengono
„ al preſente fuori, d' armarne delle altre
„ pel conto predetto, purchè gli altri Prin-
„ cipi voleſſero fare il ſimile, ed ajutare il
„ detto Imperadore di Grecia per bene
„ della Criſtianità. E con queſta riſpoſta fu
„ licenziato (1) „. Jam porrò cum Sanutus

(1) Apud Murator. T. XXII. Script. R. Ital. col. 945.

tus laudatus Antonii legationem ad annum MCDXXIII. referat, etſi non dicit *in hoc anno*, ſed *in queſto tempo* accidiſſe, tamen veriſimile arbitror aut menſe novembri, aut decembri factam eſse; atque ideò vocare Maſſanum *Generalem*, vel quia Vicatius Generalis erat, vel quia prolepſi hiſtorica uſus eſt, quemadmodum eam adhibuit auctor acceſſionum ad Ptolomaeum Lucenſem, qui eundem Maſſanum Miniſtrum Generalem appellat ante duos annos, quam hujuſmodi officium illi demandaretur.

XVII. Praetereundum hìc ſine animadvetſione non eſt, quod ait Rodulphius (1), nimirum Antonium noſtrum una cum Francifco Borillo Minorita item Conventuali in Provincia adverſus haereticam pravitatem Inquiſitore, Viennam, & ad alta loca miſſum a Gregorio XI. Summo Pontifice fuiſſe: *hunc* (Antonium) *Gregorius XI. Pontifex Maximus una cum Fratre Franciſco Borillo antea miſerat nuncium ſuum Viennam, & ad alias partes ad tollenda quaedam ſcandala, quae cum magno Chriſtianorum detri-*

(1) *Hiſtor. Seraph. lib.* 2. *fol.* 190. Rodulphium hac in re ſequitur Iſidorus Ugurgerius *Pompe Seneſi Par.* 2. *tit.* 32. *n.* 23. *pag.* 282. *ed. Piſtor.* 1649.

detrimento irrepſerant, cum facultate Apoſtolica puniendi juxta canonicas ſanctiones, omni appellatione poſtpoſita. Extant litterae datae apud Villam-novam Avinione. Has litteras, aliaſque ejusdem argumenti non paucas publicavit poſt Rodulphii mortem Lucas Waddingus (1), ex quibus apparet Gregorium legaſſe Antonium Maſſae Epiſcopum, ac memoratum Franciſcum in Galliam Narbonenſem ad quosdam haereticos profligandos, qui tum ob virorum Principum erga illos favorem, tum ob Gallorum Praeſulum in iis reprimendis negligentiam numero, & potentia magno cum Fidei noſtrae detrimento multum creverant. At Rodulphius ſcribens, Antonium Maſſanum Pontificem Gregorii Legatum illum eſse, de quo in praeſentia nobis eſt ſermo, cujuſque monimenta colligimus, in pinguem errorem, putidumque anachroniſmum labitur; Antonius enim noſter Gregorij XI. tempore, anno ſcilicet MCCCLXXV., quo Legatorum miſſio facta eſt, non ſolum Epiſcopus Maſſanus nondum conſtitutus erat, ſed ne fortaſſis quidem Sacerdos creatus. Ego in ea verſor opinione, ut cenſeam, ob nominum ſimilitudinem Rodul-

(1) *T. VIII. ad an. 1375. n. 14. pag. 312. & ſeq.*

dulphium hallucinatum eſse, atque Antonium Maſſae Epiſcopum a Gregorio in Galliam Narbonenſem miſsum, fuiſſe procul dubio Antonium *de Riparia*, qui ex Ughellio, ejuſque adnotatoribus ſub anno MCCCLXI. Pontifex Maſsanus creatus poſt ſexdecim circiter annos exrremum diem obiit (1). Rodulphii erraium vidit etiam noſter Ludovicus Nuti Miniatenſis in celeberrimo Piſano Arhenaeo Sacrae Theologiae olim publicus profeſsor; unde poſt laudata Rodulphi verba haec habet: *auctor hic errat, nam Antonius Epiſcopus Maſſanus miſſus a Gregorio XI., alius eſt a Fratre Antonio praedicto* (2).

XVIII. Verum ad Maſſanum Vicarij Generalis munere fungentem redeamus. Tanta prudentia per eos dies, qui inter menſem Novembrem, & Aprilem intercedunr, Ordinem rexit, ur quamquam Societatis noſtrae leges caverenr, ne Comitiorum Praeſes, qualis fururus erat Anronius utpote Vicarius, in Miniſtrum Generalem eligeretur, tamen Pontifex Maximus

(1) *T. III. Italiae Sacrae in Ep. Maſſ. n. 38. col. 720. ed. Colet.*

(2) *In exemplari Hiſt. Rodulphianae in noſtri Conventus oppidi S. Miniatis Bibliotheca ſervato.*

mus quinto calendas majas ab his eum liberaverit (1); quocirca in Comitiis non quidem Forolivii, uti quidem ex noſtris (2) opinantur, ſed Ferratiae anno MCDXXIV. ſub diem feſtum Pentecoſtes habitis communi ſuffragio in totius Ordinis moderatorem renuntiatus fuit: *nullo negotio*, inquit Waddingus, *omnia coierunt ſuffragia in hominem Pontifici carum, litteris inſignem, & praefecturae jam pene poſſeſſorem* (3).

XIX. Scribit Ambroſius Camaldulenſis, Antonium noſtrum Venetias petentem ipſum Florentiae morantem conveniſſe, hortatumque eſſe, ut ad Franciſcum Barbarum Venetum ſanguinis ſplendore, doctrinaque clariſſimum litteras dare vellet: eidem Antonio morem geſſiſse, ac inſuper tradidiſse Joannis Climaci *Opera*, ut ad eumdem Barbarum ferret: *cum proficiſci pararet ad vos praeſtantiſſimus Theologus, mihique Pater digniſſimus Antonius Maſſanus officio ſuo ſanè non defuit, & an ſcribere*

(1) *V. diploma* apud Wadding. *ad an.* 1424. T. X. *n.* 7. *pag.* 81.

(2) Gonzaga *de Origine Seraph. Relig. Franciſ. par.* 1. *n.* 31. *pag.* 67. *ed.* 1587., ac Rodulphius *loco paullo ante cit.*, qui in eo etiam errat, quod aſſerit, Antonium in Miniſtrum Generalem anno 1424. eſſe renuntiatum.

(3) *Loco cit. n.* 8.

bere vellem aliquid ad te interrogavit, immo ut ſponte ſcriberem hortatus eſt... Climacum a me traductum tibi Magiſter Antonius reddet, quem haſtenus mittere diſtuli, quia illum melioribus litteris tranſcriptum mittere avebam (r). Scribit etiam memoratus Ambroſius, Maſſanum Veneriis revertentem per Urbem Florentinam iterum tranſiiſse, ac ipſi quaedam ſignificaſse, quae an vera eſsent rogavit poſtea Barbarum: „ cum clariſſimo „ Theologo Maſsano eſt mihi, quod tu „ minimè ignoras, magna familiaritas. Is „ mihi nuper cum a vobis reverteretur aſ„ ſeruit, virum quemdam graviſſimum „ Equeſtris Ordinis de familia Conſtanti„ nopolitani Regis ad vos applicuiſse, ma„ gnamque librorum copiam ſecum advexiſ„ ſe cupientem è ſeculi naufragiis fugere, „ atque religioſum inſtitutum ſumere; ve„ rum obſtare illi uxorem juvenem, ne„ que pati virum à ſe avelli, eſseque ei „ filium bonae ſpei adoleſcentem; pluri„ maque alia maximè auditu grata. Ve„ rum cum ab illo quidnam de eo actum „ eſset percontarer, nihil amplius habuit, „ quod diceret. Quaeſo Franciſce cariſſi„ me

(r) *Epiſt. 4. lib. 17. col. 362. apud Martene, & Durand T. laud.*

„ me (nam illum haudquaquam ignotum
„ eſse puto) ad me de eo ſcribas diligen-
„ tius. Aſseruit item audiviſse apud vos
„ celebri nuntio vulgari, Tartarorum Re-
„ gem ad Chriſti fidem converſum pluri-
„ mam multitudinem Barbarorum ſecum
„ ad fidem pertraxiſse. Id quoniam laeti-
„ tiae plenum eſt, certius an ita ſe habeat
„ audire aveo (1).

XX. De menſe, quo Maſsanus Roma diſceſſit Venerias petiturus nihil definite auſim, ſiquidem in fine primae Ambroſij epiſtolae, menſis, quo ſcripta eſt haud notatur. De menſe, quo rediit nullus remanes ambigendi locus, cum ſecunda, cujus memini epiſtola data dicatut Florentiae decimo caleodas Novembris. De anno pariter, quo venetum iter confecit aliquid certi colligi poteſt ex ejusdem Ambroſii litteris, ex quibus conſtat illud confeciſſe an. MCDXXIV. poſteaquam ſcilicet totius Ordinis regimen ſuſceperat. Non ſcribo hoc temerè: nam Ambroſius Joannis Climaci Opera de graeco in latinum vertere die vigeſima ſexta Septembris anno MCDXXIII, terminavit, uti liquet ex autographo eorundem Florentiae in Monaſterio, quod dicunt Sanctae

(1) *Epiſt. 26. lib. cit. col. 578.*

ctae Mariae Angelorum ſervato, ad cujus calcem haec idem ipſe Ambroſius ſcripta reliquit: *abſolvi VI. Kalendas Octobris* 1423.(1). Maſſanus Venetias proficiſcens nomine Ambroſij Climacum ad Barbarum detulit. At illum ſanè non detulit eodem anno, quo verſio abſoluta eſt; tum quia ante diem 23. Octobris Barbarus eum acceperat, legerat, & Ambroſio reſcripſerat, quid de ipſo ſentiret (2), quod viginti ſex dierum ſpatio fieri certè non potuit; tum maximè quia prima die menſis Novembris Ambroſius nondum Barbaro Climacum miſerat, quemadmodum patet ex ejus epiſtola ea die ad eundem Barbarum data, in qua ſic legitur: *inſtabat Nicolaus noſter, ut Climacum etiam noſtrum ad te mitterem, feciſſemque ſatis tuis, atque illius votis, ſi eſſet apud me integer: vix enim dimidium illius eſt apud me, reliquum accepit unus ex amicis legendum, & necdum illud reſtituit* (3); igitur Ambroſius Climacum ad

 Bar-

(1) De hujuſmodi codice pluribus differit eruditiſſimus Abbas Laurentius Mehus *Hiſtor. Litter. Florent. pag.* 424.

(2) Vide *Epiſt. cit.* in qua haec ad Barbarum ſcribit: *Climacum meum tibi probari gaudeo. Tuum enim graviſſimum, integerrimumque judicium plurimi facio.*

(3) *Epiſt. 17. lib. cit. col.* 579. Haec epiſtola non

ſecus

Barbarum miſit ante menſem Septembrem, vel circiter anni MCDXXIV.; cum veriſimile haud ſit ultra annum diſtuliſſe Nicolai, & Barbari votis facere ſatis: proindeque Maſſanus hoc anno venetum iter arripuit. Cauſſam cur idem Maſſanus illud ſuſceperit, niſi ea fuerit, ut quae Sanutus narrat, Veneto Senatui repreſentaret (1), ob monimentorum defectum non inveſtigabo, ne videar terere fruſtra tempus. De iis, quae Antonius geſſit, quo tempore Miniſter Generalis fuit, nihil certò ſcitur, niſi quod anno MCDXXVII. in oppido Caſali Montis-ferrati Comitia generalia juxta Regulae noſtrae mandatum celebravit (2): & anno ſequenti Patrem Simonettum Spoletanum adverſus haereticam pravitatem Inquiſitorem in Umbriae Provincia inſtituit (3).

XXI. Anno MCDXXX. coram omnibus Patribus, qui Aſſiſium convenerant, ut

ſecus, ac quaedam aliae libri preſertim decimi ſeptimi, quantum animadverti, extra proprium ordinem chronologicum apud Martene, & Durand poſita eſt.

(1) Venetam Antonii legationem refert Sanutus ad annum 1423, uti ſupra viſum eſt *num.* XVI; cui etſi non repugno, non ita tamen ejus opinionem probo, ut, qui ad hunc annum potius referendam eſſe judicaret, in errore verſari exiſtimem.

(2) Confule Wadding. *ad eum an. n. 19. pag.* 121.

(3) Lege Waddingum *ad eum ann. n.* 2. *pag.* 132.

ut *Capitulum* generale haberent, pridie idus Junij paucos ante dies, quam ei ſucceſſor daretur Maſsae Epiſcopum, ac Principem creatum fuiſse, nemo quiſquam in controverſiam vocat (1); ſed an officio, quod ante ſexennium obtinuerat, privatus fuerit, an illud ſponte ſua dimiſerit magna quaeſtio eſt. Coactum dignitati nuncium remittere fuiſſe tradit Auctor, qui anno MDIV. die 30. Januarij Venetiis per Simonem *de Luere* edidit opus, cui titulus: *Speculum Vitae Beati Franciſci, & Sociorum* „ *ejus* „ ſub Martino V., *inquit*, creatus eſt „ unus Generalis ſcilicet Frater Antonius de „ Maſſa, qui Aſſiſij fuit privatus Genera„ latu (2)„. Idem ſentiunt Auctor Operis inſcripti *Speculum Minorum, ſeu Firmamentum trium Ordinum* (3), Marcus Ulyſſiponenſis (4), Rodulphius (5), Buchius (6), C 2 Ughel-

(1) V. *diploma Pontificis* apud Wadding. *T. X. in Reg. Pontif. n.* 242. *& ad eum an. n.* 26.
(2) *Folio* 215.
(3) *Folio* 37.
(4) *In Chronicis FF. Min. par.* 3. *l.* 1. *cap.* 9. *fol.* 28. *ed. Ven.* 1591.
(5) *Loco indic.*
(6) *In Acceſſionibus ad Librum Barthol. Albitij Piſani inſcriptum* Conformitates B. Franciſci &c. *fol.* 96. *ed. Bonon.* 1590.

Ughellius (1), Ugurgerius (2), Antonius a Terrinca (3), Meliſſanus (4), atque ut alios mittam, Waddingus (5), cujus haec ſunt verba: *convenientibus igitur in unum univerſis totius Religionis ſuffragatoribus tam ex Patribus Conventualibus, quam Obſervantibus die 15. Junij, in quem incidit feſtivitas Corporis Chriſti inchoata ſunt comitia, objectaque ſunt varia capita laxioris vitae, remiſſi regiminis, & ſupinae ſocordiae Antonio de Maſſa Miniſtro Generali, quibus diligenter diſcuſſis, & rite probatis amotus eſt ab officio cum honore tamen translatus ad patriae ſuae Epiſcopatum*. Huic hiſtoriae non multum credidiſſe Gonzagam ex eo apparet, quod ipſe de Maſſano loquens nihil penitus de illius ab officio privatione ſcribit: *Generalis Miniſter Pater Frater Antonius de Maſſa Provinciae Tuſciae in primo generali Capitulo* Foro-

(1) *Op. alias cit. n.* 45. *col.* 722.

(2) *Pompe Seneſi Part.* 1. *tit.* 21. *n.* 23. *p.* 280.

(3) *Op. alias cit. par.* 2. *tit.* 2. *forte* 1.

(4) *In Supplem. ad Annal.* Waddinganos *ad an.* 1430.

(5) *Tom. X. ad eum an. num.* 5. *pag.* 149. Confer etiam eundem Waddingum *ad an.* 1424. *n.* 8. *pag.* 81. In eadem ſententia eſt Auctor hiſtoriae Franciſcanae ſatis quidem peritus, ſed in multis manifeſtae etiam veritatis impugnator, qui opus nuper publicavit, cui titulus: *Secoli Serafici &c.*; at cum illud apud me modò non habeam, quo capite eam tradat non recordor.

Foroliviensi anno Domini 1424. *electus eodem Martino V. Ordinem gubernavit annis ſex, poſteaque Epiſcopus Maſſenſis factus eſt* (1). Tu vero Agelli eruditiſſime (2) eandem pugnaciſſime negas. In tuam ſententiam ipſe quoque concedo: vix enim, ac ne vix quidem perſuadere mihi poſſum, Martinum V., qui Antonium intimè noverat, ſi talis, qualis a Wadingo, aliiſque cum eo ſentientibus deſcribitur, fuiſſet, illo uſum eſſe ad legationes obeundas, ac poſtmodum in Epiſcopum elegiſſe. nonne Pontifex prudenter vereri poterat, ne ſocordiam, deſidiamque longè majorem in Eccleſiae negotiis pertractandis, quam in Fratribus regendis adhiberet? nonne optimè ſentiebat laxam, diſſolutamque vitam nullo umquam pacto cum iis dotibus conciliari poſſe, quas Apoſtolus in Epiſcopo exigit (3)? Praeterea antequam Miniſter Generalis crearetur, & poſtquam Epiſcopatum obtinuit nec *laxioris vitae*, nec *ſupinae ſocordiae* fuit Antonius, nam ut praete-

(1) *Loco quem ſupra laudavi.*
(2) *Epiſtola ſecunda, qua oſtendis S. Petrum Regalatum ad Minores Conventuales ſpectare n. XI.*
(3) *Epiſt. 1. ad Timotheum cap. 3. Epiſt. ad Titum cap. 1.*

teream a nonnullis hominem integerrimum appellari (1), Martinus V. anno MCDXXIII. virum juxta cor ſuum, ſcilicet optimis moribus ornatum Ordini noſtro praeficere cupiens Antonium Vicarium Generalem conſtituit: factus Epiſcopus *praecipua ſollicitudine Eccleſiam ſibi creditam gubernavit* (2): ecquis igitur, Deus immortalis, ſine probati Scriptoris aequalis, vel ſupparis, alteriuſve antiqui monumenti auctoritate umquam credet, per ſexennium duntaxat, quo Miniſter Generalis extitit propriis animi affectionibus habenas relaxaſſe?

> .... *credat Judaeus Apella,*
> *Non ego* (3)

Eo vel maximè quia neque in litteris, quas Martinus V. anno MCDXXVII; & MCDXXX ad Antonium miſit (4), neque in iis, quas ad Cardinalem Joannem Cervantes Hiſpanum Comitiorum Aſſiſienſium Praeſidem

(1) V. *Acta Legationis Cp. jam relata*, Leonardum Juſtinianum, ac Rodulphium, quorum verba cum tempus me monuerit, recitabo.
(2) Ughellius *loco indic.*
(3) Horatius *lib. 1. Sermonum Satyra 5. ver.* 100.
(4) Exſt. apud Wad. *ad eos annos n.* 19. *pag.* 151. *n.* 2. *pag.* 147.

dem dedit (1), ipſemet Antonius tanquam diſciplinae regularis violator reprehenditur.

XXII. Mihi fortaſſis reſpondent cum probatos Scriptores, tum vetera monumenta id teſtantia in promptu eſſe; nam hiſtoriam hanc tradit antiquus editor operis inſcripti: *Speculum vitae B. Franciſci, & Sociorum ejus*; ac praeterea Guillelmus Caſalenſis Sacrae Theologiae Magiſter, qui Romae totius Ordinis negotia gerebat factus eſt anno MCDXXIX. Vicarius Generalis ſine cujus conſilio, & aſſenſu non licebat Antonio quidquam innovare; quod ſane magno eſt argumento Antonium non bene Ordinem noſtrum gubernaſſe. Ego tamen inficior, memoratum auctorem probatum eſſe; immò ajo, nullam mereri fidem, quippe quia tot errores continet, ut facilius eſſet Augiae ſtabulum, ut aiunt, repurgare, quam eorum indicem texere. Singulos itaque non referam, ſed tantum proferam quid de proximo Antonii ſucceſſore Autor laudatus ſcribat, ut quo in pretio habendus ille ſit colligere vel ex hoc uno quiſque poſſit: *Sub Martino V.* (en ejus verba) *creatus eſt unus Generalis Miniſter ſcilicet Frater*

(1) *Exſt. apud eundem ad an.* 1430. *n.* 5. *pag.* 148

Antonius de Maſſa, qui Aſſiſii fuit privatus Generalatu. Hac ergo Antonio ſucceſſit in Capitulo Generali Magiſter Antonius de Rusconibus, & fuit maxima diſcordia in Capitulo, quod quidam Albertum de Obſervantia volebant eligere, ſed ex voluntate Eugenii Papae datus eſt unus Vicarius Generalis Obſervantiae (1). At Maſſani proximum ſucceſſorem fuiſſe Antonium *de Ruſconibus* tam falſum eſt, quam quod maxime; fuit namque Guillelmus Caſalenſis, cui poſtmodum *de Ruſconibus* anno MCDXXXXIII. ſucceſſit in Comitiis generalibus non quidem Aſſiſii, ſed Patavii habitis, quemadmodum Annales noſtri apertè tradunt (2). De Guillelmo Caſalenſi id certè ſcribit Waddingus (3) Mariani Florentini, quem laudat in margine libri auctoritate fretus; ſed ego hoc non recipio, utpote non ſatis probatum: cur enim idem ipſe Waddingus, qui caetera de Maſſano Pontificum diplomata in lucem emiſit, illud quoque non exſcripſit, quo Martinus V. Antonio fraenum iniecit, ſed Mariani ſolum teſtimonio, qui in rebus

(1) *Fol. ſupra laud.*
(2) Confer Waddingum *T. XI. ad eum ann. 3. pag. 175.*
(3) *T. X. ad an. 1429. n. 8. pag. 242.*

bus ſcribendis naribus uſus minimè eſt, haec de viro integerrimo poſterorum memoriae mandavit?

XXIII. Si quis a me quaerat, unde factum ſit, ut Maſſanus in multorum reprehenſionem incurrerit, ille ſic habeat. Com anno MCDXV. Minores, quos *de Obſervantia* vocant a Synodo Conſtantienſi Vicarios Generales impetraſſent (1), ac proinde coepiſſent ſe ab Ordinis communitate ſeparare, ac Miniſtrorum obedientia abalienare, id & ipſis Miniſtris, & Patribus Minoritis Conventualibus ſummoperè diſplicuit (2); hinc variae ortae ſunt inter utroſque diſſenſiones in primiſque anno MCDXXIX. (3); nam alteri ut proprios Vicarios ſuſtinerent, ac tota Minorum familia ad rigidiorem vivendi rationem reduceretur omnem movebant lapidem; alteri è contrario, ut Fratres *de Obſervantia* totius Ordinis Miniſtris ſubiicerent, eorum Vicarii abolirentur (4), ac non pauca privilegia ſibi a Romanis Pontificibus conceſſa

(1) V. *ejus Decretum T. XVI. Hiſt. Concil. Seſſio.* 19. *col.* 297. & apud Wadd. *T. IX. ad eum an. n. 6. pag.* 372. *& ſeq.*

(2) Lege Wadding. *ibid.*

(3) Adiſis Wadding. *ad eum ann. n.* 8. *pag.* 141.

(4) Id tandem obtinuerunt anno 1430. Conſule. Wadding. *ad eum an. n.* 5. *pag.* 149.

ceſſa ſarta tecta ſervarent ſumma diligentia curabant. Antonius Maſſanus & quia univerſae ſocietatis moderator, & quia Minorita Conventualis erat, veters Ordinis jura tuebatur, ut indicare videtur Lucas Waddingus (1); unde apud adverſarios ſuos tanquam homo diſſolutus, ac proprij officij immemor vellicari, ſuggillarique coepit; quam iniurioſam notam falſo rumore ſparſam cum ex aemulis Antonii aliquis litteris fortaſſis conſignaſset, alii Scriptores poſtea illum pecudum more, ita ut a nonnullis fit, ſequentes, eandem evulgarunt. Re quidem vera idipſum Guillelmo Caſalenſi in Antonij locum ſuffecto accidit, qui quamdiu Fratribus *de Obſervantia* indulſit, ac, ſacramento dato, executioni mandare promiſit Conſtitutiones *Martinianas* in Comitiis Aſſiſienſibus anno MCDXXX. a S. Joanne Capiſtranenſi compoſitas, tamdiù meruit a Waddingo (2) appellari *vir ... doctus, facundus, & pius, victu Religioſus, inceſſu gravis, in regimine prudens, induſtria, & rerum experientia* ad munus Miniſtri Generalis obeundum *idoneus*: at poſteaquam a Martino V. petiit, atque obtinuit, ut a prae-

(1) *Ad an. 1429. n. 8. pag. 142.*
(2) *Ad an. 1430. n. 5.*

praefato ſacramento ſolveretur, Conſtitutiones laudatae partim abrogarentur, partim mitigarentur, ac Fratrum Minorum privilegia de poſſeſſionibus, aliiſque preventibus habendis jam inde a pluribus annis ipſis conceſſa idem Pontifex rata faceret, aliis verbis idem ipſe Waddingus eum deſcribit: *citò deferbuit in Miniſtro* (Guillelmo) *zelus, ac fervor, perfunctoriè agebat, quae ſimulare non poterat, modò Conventualibus, modò aliis obſecundans, palam praeferens reformationis conatum, clam praetermittens neceſſaria. Diligebat porrò ſtrictioris vitae ſectatores, ſed laxiores contriſtare nolebat, unde novi ſchiſmatis origo, permanentibus veteris diſcordiae ſeminariis.* (1)

XXIV. Hactenus Maſſanum pro viribus meis vindicavi; nunc de ipſo reliqua perſequar. Electus Epiſcopus Senenſi Reipublicae electionem ſuam ſignificavit. Ordinatus deinde, atque ad Maſſanam Eccleſiam profectos oves ſibi commiſſas ea, quae veri paſtoris propria eſt, rexit diligentia ad annum uſque MCDXXXV., quo ex hac vita deceſſit. Olim in Eccleſia Cathedrali poſt Altare majus in pariete videbatur ejus imago ad vivum picta ipſum genuflexum coram

(1) *Ad eundem annum n. 24. pag. 161.*

coram Sancto Cerbono repreheſentans, cum ſequenti inſcriptione:

A. MCCCCXXXV. MENSIS DECEMBRIS. HIC EST MAGISTER ANTONIUS DE MASSA PRINCEPS MASSANUS, ET EPISCOPUS POPULONIAE. CIVITATEM LIBERTATE DONAVIT INSTITUTA REPUBLICA, TRANSLATO IN IPSAM DOMINIO TEMPORALI (1):

nunc autem neque imago, neque inſcriptio viſitur; nam cum multis ab hinc annis nova

(1) Eam refert Waddingus *ad eum an. n. 30. pag. 169.*, atque, ut alios mittam, Ughellius *T. III. Ital. ſac. in ep. Maſſ. n. 45. col. 722*, ſed imperfectam. Illud animadverto, quod etſi Antonius Maſſanus ad annum uſque 1435. ſpiritum duxit, non tamen ad menſem uſque decembris, uti opinari quiſque poſſet ex verbis inſcriptionis ſupra exhibitae, nam nonis Octobris ejusdem anni Richardus congnomento *del Frate* Congregationis Vallisumbroſae alumnus patria Florentinus, vel potius Senenſis in Antonii locum ſucceſſerat teſte Ughellio *op. cit. n. 46*, proinde hic ante laudatum menſem jam obierat. De hujuſmodi inſcriptione ego ſic cenſeo. Factam fuiſſe poſt Antonii mortem Richardi, vel ſuorum Civium juſſu, qui memores ipſum Antonium de Patria, totaque Dioeceſi optime meritum eſſe in perenne grati animi argumentum ejus imaginem etiam pictam ibidem voluere; menſemque Octobrem non ad tempus, quo Maſſanus mortuus eſt, ſed ad tempus, quo haec geſta ſunt, referendum eſſe.

nova calce totus eſſet incruſtatus paries utraque periit, quemadmodum ſanguinis ſplendore aeque, ac doctrina clariſſimus Ubertus Benevolentius Senenſis, vel quiſquis eſt auctor adnotationum ad Epiſcopos Maſſanos in nova Italia Sacra Venetiis a Coleto edita, animadvertit. Maſſanus noſter magna erga verendum Chriſti nomen religione flagrabat, ut colligi poſſe videtur ex iis, quae de illo tradit Ughellius (1). *Antonius haud alia ſtemmata geſtavit, quam iſtas literas, quibus verendum Chriſti nomen exprimebatur CPS, ut ex quibuſdam literis videre eſt, quarum partem apud me habeo, pars in Bicherna Senenſi diligentiſſimè ſervatur.* Cum per Amicum rogaſſem Peccium Senenſem S. Stephani Equitem rerum praeſertim patriarum peritiſſimum, an earum litterarum pars uſque adhuc in publico Senenſi Tabulario ſervetur, nihil penitus ſcire hac de re potui.

XXV. Quod attinet ad Maſſani Scripta, Poſſevinus (2), qui ad quam Societatem ſpectarit ipſe Maſſanus ignoravit, aſſerit confeciſſe librum adverſus Grecorum errores, qui *exſtabat in Bibliotheca Cardinalis Sir-*

(1) *Loco laud.*
(2) *T. I. Appar. ſacri pag. 106. ed. 1603.*

Sirleti, quam deinceps Aſcanius Columna eſt aſſequutus. Idem tradunt Waddingus (1), atque Fabricius (2); ſed horum prior animadvertit, praefatum librum Martino V. nuncupaſſe: *Miſſus eſt* (Maſſanus) *a Martino V. ad Imperatorem Conſtantinopolitanum pro ſtabilienda unione inter Graecos, et Latinos, ubi probe examinavit, & collegit errores Graecorum, quos oportebat corrigere, ſi verae fidei vellent ſubſcribere. Scripſit itaque ad Martinum V. Pontificem adverſus Graecorum errores librum, quem refert Poſſevinus extitiſſe &c.* Menſe Junio præſentis anni antequam Roma diſcederem Praefectum Tabulario, ac Bibliothecae nobiliſſimae Columnenſium domus conveni, ab eoque petii, utrum in laudata Bibliotheca hucuſque Maſſani liber ſervaretur. At ille ſtatim negativè mihi reſpondit, ſiquidem Aſcanius Bibliothecam ſuam teſtamento reliquit Familiae *Altemps*, cujus libri diverſis temporibus varias paſſi ſunt fortunas. Waddingus, et ex eo Fabricius ſcribunt, Antonium noſtrum etiam *Officium Sancti Cerboni ſui in Eccleſia Maſſanenſi praedeceſſoris* compoſuiſſe.

XXVI.

(1) *In Syllabo SS. O. MM. pag.* 35.
(2) *T. I. Bibliothecae mediae, & inf. latin. pag.* 128. *ed. Menſianae,*

XXVI. Celebriorum ſui temporis litteratorum amicitiam coluit, Antonii ſcilicet Rhaudenſis ſodalis ſui viri doctiſſimi, Ambroſii Camaldulenſis, Barbari, Nicolii, Auriſpae, & aliorum, inprimiſque Caroli Zeni, de quo ita ſcribit Leonardus Juſtinianus (1); *Quo enim, ut alios omittam, ſtudio, qua humanitate Antonium Maſſanum eloquentiſſimum, & integerrimum hominem, ac divinarum artium eruditiſſimum colait?* De Antonio ſumma cum laude mentionem fecerunt praeter Summum Pontificem Martinum hujus nominis quintum, Juſtinianum, Ambroſium Camaldulenſem, atque Waddingum, quorum verba in hac epiſtola ſparſim recitavi, Æneas Silvius (2), Petrus Rodulphius (3), a quo dicitur *Theologus, & Concionator eximius graecis, & latinis litteris eruditus, vitae integerrimus*: Jeremias Buchius (4): *vir in toto orbe famoſiſſimus:* Ferdinandus Ughellius (5): *Theologica facultate per ea tempora cla-*

(1) *In Oratione Parentali pro eodem Zeno* apud Martene, & Durand *T. III. op. alias cit. col.* 747, & apud Muratorium *T. XIX. Script. Rerum Ital. col.* 376.

(2) *De Viris illuſtrib. ſui temporis* apud Petrum Rodulphium *Hiſt. Seraph. Religion. lib.* 2. *fol.* 190.

(3) *Loco cit.*

(4) *In Acceſſionibus ad Librum Barthol. Piſani inſcriptum* Conformitates &c. *fol.* 96.

(5) *Loco cit.*

clarus: Iſidorus Ugurgerius (1): *Chiariſſimo Teologo .... governò quella Chieſa* (Maſſanam) *con gran diligenza: huomo ornato di lettere greche, e latine chiaro per bontà di vita*; et alii ſexcenti, quos ſilentio praetereo.

XXVII. Vehementer doleo, me ſingula Maſſani geſta narrare, ut in votis erat, non potuiſſe, ſiquidem horum memoria vel temporum iojuria periit, vel eadem geſta hominum negligenria minimè fueruot litteris conſignata, vel randem in Bibliothecis, ac Tabulariis, ad quae ipſe accedere, & pervolvere non potui hucuſque deliteſcunt. In magnam tamen ſpem venio fore, ut quae hactenus narravi ad oſtendendum ſint ſatis, Antonium noſtrum ſumma doctrina, prudenria, aeſtimarione, morumquo hoceſtate praeditum fuiſſe. Redeo nunc ad Te, Agelli doctiſſime, oro, atque obſecro, ut ea humanitare, qua litterarum ſtudia fovere, & me complecti ſoles hanc epiſtolam excipere velis; quae licet mious dignum meritis tuis munus eſt, tamen ſummae in Te obſervantiae meae perpetuum mooumentum fore plane confido.

Dabam Piſis ad Sancti Franciſci quarto idus Decembris anno MDCCLIX.

(1) *Pompe Seneſi tit.* 7. *par.* 1. *n.* 30. *pag.* 147. *tit.* 11. *num.* 25. *pag.* 280.

FINIS.

H 433-02

Digitized by Google